CHRISTUS PATIENS.

CARMEN HEROICUM.

LONDINI:

Ex Officina J. Tonson, & J. Watts.

M DCC XIII.

ABBATI BIGNONIO

S. S.

MICHAEL MAITTAIRE.

ABBATI BIGNONIO

S. S.

MICHAEL MAITTAIRE.

VIS illa ſoli natalis magnetica, quâ plerique ducimur, VIR ADMODUM REVERENDE, uſque adeò apud Rapinum noſtratem valuit, ut, licèt in Angliâ Literarum Literatorúmque feraciſſimâ jam renatus, Typographicóque apparatu ſatis ſplendido inſtructus, nil tamen prius habuerit quàm ad ſuos reverti. Placuit mihi in elegantiſſimo Poëtâ cùm pius in patriam animus, tum id maximè, quòd tuam, cui ſe crederet, clientelam delegerit; neque certè alium potuiſſet optare aut ſubtiliorem ingenii judicem, aut meriti æ-

quiorem patronum. Hanc tam commodè oblatam occasionem negligere nolui meam erga te per internuncium, quem scio fore acceptissimum, observantiam publicandi; & mutuam inter nos hactenus bonâ tuâ veniâ epistolarum consuetudinem hôc dono, hâc Christianâ quasi Crucis, cujus Epinicium tam heroicè, tam Divinè in sequenti Poemate decantatur, tesserâ sanctiùs consignandi.

Vale, VIR DOCTISSIME; & quantulumcunque hìc sit opellæ meæ, boni consule. Londini, 1712. Cal. Nov.

LECTORI S.

QUISQUIS es, Amice Lector, qui ſcripta ſcriptoreſque non ex mole ſed ex ſtyli dignitate æſtimare nôſti, adeſt tibi nunc, quod utrâque manu complexúque toto aſſeras, Poëma Heroicum, imò Poëmation; penè dixeram, in nuce Virgilius. Hujus enim author Renatus Rapinus Poëtæ illius divini veſtigia, quàm proximè vix ullus alter recentiorum, preſſit; legitque ſibi materiam, ſupra quam nulla poteſt aſſurgere, tubâ vel Angelicâ digniſſimam. Maro *Arma Virúmque*, Rapinus *Crucem Deúmque* depingit; Ille Deos Ilio cum Heroë ſuo profugos bellúmque Latio infert, Hic orbi pacato Chriſtum in ipſo Paſſionis agone mortiſque articulo de morte triumphantem. Sed meliùs Poëmatis majeſtatem Poëtæque ingenium legendo deprehendes. Tamen ut nequid deſit, quod utrumque ad tuam opinionem commendet; ex Authoris poſtiſſimâ dedicatione intelliges ipſum ſuos omnes in hoc opus nervos intendiſſe, ut ſuis cœtaneis fidem faceret, * *Chriſtianum carmen poëtico artificio fabuloſoque apparatu commodè donari poſſe, quam controverſiam* tunc videbat *agitari inter eruditos*. Nonnihil præterea pretii poſteriori huic Po-

* Lege Rapini Dedicationem.

LECTORI.

ejusdem Poëmatum, fortàn accedet, quod prior in lucem Parisiis apud Sebastianum Mabre-Cramoisy 1674 missa, rarius apud bibliopolas occurrat, ubi & alia plurima, quæ scholis (ut aiunt) voluminibus excusa facilè excidunt, dum multa, quæ plus molis & aliquando minus momenti præ se ferunt, suum possint multo meliùs tutari locum.

Vale, Lector; & si hujusmodi opuscula metrica à recentioribus scripta tibi probari sensero, propèm dabo, ut non in hôc solo hanc à te ineam gratiam, ac hujusmodi poëmata omni laude, certè meâ, longè superiora Typis elegantissimis curem deinceps committenda.



ILLUSTRISSIMO VIRO

GUILELMO LAMONIO

SENATUS PRINCIPI

RENATUS RAPINUS SOC. JESU.

NOVO de Chriſto patiente carmini quærebam patronum, qui Crucis opprobrium non erubeſceret, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME! primus occurriſti. Nam Philoſophiæ Chriſtianæ diſciplinâ ſic exercitatus es, ad omnem rerum humanarum deſpiſcentiam, ut ad Chriſti morientis ignominioſum myſterium reſpicias unicè, tanquam ad ſidus certiſſimum, à quo ſalutis ſecuritas in hujus vitæ fluctibus ſperari poſ-

sit. Ita nimirum maximi totius orbis terrarum consilii principatum geris; ut præclarum Evangelii servitutem, & glorioſum Chriſti jugum dignitatum omnium ambitioſæ vanitati longè anteponas. Et verò, cùm leges adminiſtras tantâ ſeveritate judiciorum; cùm probitatis, innocentiæ, religioniſque ipſius patrocinium ac defenſionem ſuſcipis tam fortiter, pro tribunali; cùm virtutis, modeſtiæ, honeſtatis ſpecimen in te exhibes civitati; cùm ſocietatis humanæ paſſim, præſertimque domeſticæ neceſſitudinis, cæteràque Chriſtianæ caritatis officia colis tantâ demonſtratione pietatis: quid agis aliud, ILLUSTRISSIME VIR, quàm ut tolerandæ Crucis ſublimem ſapientiam exemplo tuo commendes noſtræ ætati? Nihil dicam de tuâ dignitate, in quâ ſic verſaris; ut bonorum illecebræ & lenocinia, quæ excæcant ac pervertunt cæterorum mentes, oculos tuos ne præſtringant quidem. Quæ verò propenſior fuit unquam liberalitas in calamitoſos, quàm tua? Quod præſentius oppreſſæ virtuti patrocinium? Quæ in occupatiſſimo magiſtratu ſalutis æternæ cura diligentior? Quæ in divitiarum contemptu excelſior fortitudo? Quæ in

bonorum adeptione, & in gloriæ curſu quaſi perpetuo, popularique approbatione, moderatia major? Cùm autem reficis animum à forenſi ſtrepitu, jugi pietatis exercitatione; cùm prolleniendo clientelarum, quæ te obruunt, faſtidio, pendes ab aris frequens & aſſiduus; cùm ſic exercens judicium de fortunis privatorum, ut ſemper intuearis in eum Judicem, qui de fortunæ tuæ æternitate pronunciaturus eſt aliquando ſententiam; cùm denique ſic verſaris in vitæ præſentis negotiis omnibus, ut animum ſemper erigas ad beatam immortalitatem conſequendam: oſtendit nimirum, quæ Chriſtiani ſpiritûs vis, quæ pectoris altitudo in te ſpiret.

Tanta verò procurandæ ſalutis vigilantia etſi digna videbatur, cur Redemptionis noſtræ myſterium, quod celebravi carmine, tibi præſertim offerrem? non deerant tamen cauſæ alia plurimæ, cur deſtinatum hoc munus tibi deberem uni, quod præſertim in tuo fundo, tuiſque ſub oculis natum ſit. Cùm enim ab aliquot annis non recuſaveris admittere me ſocium ad eam ſolitudinem, cui ſub Quadrageſimæ finem mandare te ſoles, in tuâ villâ, ut à negotiorum tumultu ſtrepitûque civitatis li-

ber dos operam, ut sit per id tempus, Redemptori ; credendæ mortis sacro interim non potuerant, quin inter deambulandum per horti memoriisque spatia, cogiturem de eo mysterio, quod tum occupabat fidelium mentes : ita ut iterata per aliquot annos horis subcisivis meditatio mea in justum carmen excreverit. Sed quia argumenti magnitudine ingenii tenuitatem interdum obrui sentiebam ; veniebat in animum desiderare interdum felicitatem eorum temporum, quibus apud Romanos tot in omni doctrinæ genere excellentes viri, cœlesti quadam inflammatione mentis excitati, poesees majestatem omnem exprimebant. Regebat enim apud ipsos va in scribendo simplicitas, per quam præsertim bona mens voluptas sanctas emitteret in carmine, tarnenque ipsum pulcritudine naturali exurgeret. Nunc vana de subtilitate sententiarum, spiritusque elatione inani, quam de splendore & audacia verborum, suum pondus orationi conciliabatur.

Nos vero inepte deliravi, in summa ingenii rum mediocritate nervos omnes contendimus, ut Poëta videamur : cum nec tenuis quidam vigor poëtici spiritus exhibeamur in carmine

bus nostris. Sed pro vitandâ judiciorum illo hominibus nostris affirmandique arrogantiâ, quæ communis est hodie tam multis, spiritûs humilitatem, tenuitatemque ingenii non impar brevi nostræ ætati. Redeo ad meipsum, qui cùm otium in scribendis hactenus carminibus parum utiliter collocârim, tam divini argumenti tractatione, violati, per vos sacrata, genialis quæso expiationem. Fieri enim minimè potest, ut detur opera poëtica rei, quin in nugarum multitudine benè magnâ perdatur otium. Valebit autem fortasse gravitas argumenti istius ad avocandos Poëtarum nostrorum animos à nugis: ostenditque Christianum carmen poëtico artificio, fabulosoque apparatu commodè donari posse: quam controversiam hodie video agitari inter eruditos. Cæterùm historiæ istius funestissimæ narrationem, quæ amplificari potuerat, de industriâ feci compendiosiorem, ut magis indulgerem affectibus iis, qui præsertim moveri debebant ex argumento, doloris, miserationis, fletibusque concitandis istâ accommodatissimum habeo. VIR ILLUSTRISSIME, quod voveam ad exitum: ut propositi ar-

Eiusmodi quod mortali omnium maximum [illegible] possit, par contingat eratio: eique [illegible] cœlestium aspirat animo, quæ respon[illegible] dum Crucis majestati. Sic fiet, ut postquam supremo hôc carmine Musæ meæ Christo mortuo parentaverint; in ipso Crucis amplexu, tanquam in ultimo portu, cum dignitate requiescant. Vale. IV. Non. Februar. anno Salutis M. DC. LXXIV.

IN CHRISTUM PATIENTEM

CARMEN HEROICUM.

AErumna alii, & fuſo pantas de ſanguine lauros,
Dicent, armenti, Regeſque ruinas & præ-
lia Regum.
Tu mihi, paſcendo promiſſe ſalutifer orbi
Regnator, ſummi ſoboles ætherna Patris
ineffa,
Carmen eris, tu Chriſte tuum tibi munus honoro.
Ingrediorq; quando ignea ſublimis ab aëre,
Conflictus, Ipſe indecores, & ſæcera ſupremos,
Humanámque tuo reparatus ſanguine gentem.
Si mihi, divinos mortali voce labores
Cantanti, pœnaſque omnes, furiamque dolorum,
Indigníſque obicum, & [illegible]
Fax tuba, quæ Manes imâ tellure ſepultos
Judicium ad magnum, mundo ex ardente, vocabit:
Quos motus animorum, & quàm confuſa cierem
Per populos lumenta, quibus clamoribus orbem
Attonitum, quanto turbarem pectora planctu!

Quamquam, ô Christe, tuos fat forti pectore dicam
Interius si me divino incenderit æstu
Spiritus is, qui te mortalem, ægrosque trahentem
De cruce fugarit, qui quondam funere in ipso,
Te regnorum habilem pernumpere claustra fugarum
Fecit, & inferno leges imponere mundo.
Fierli colles & numina vana profana
Vatibus implorata, levesque fucentia nugæ,
Una meos omni demum pro numine cantus,
Una meos animos Crux implebit. O bona vati
Crux ubique tua! forsan da pandere rerum
Tantarum, penitusque sacros recludere fontes,
Perditus unde orbis lucem, vitamque recepit,
Da posse infandum populis narrare dolorem,
Montibus in summis rigidus qui rumpere saxea,
Qui tutili portis splendorem extinguere sulfa,
Misceri extincto turbata elementa Magistro,
Naturæque omnem iacrè confundere vultum.

Colle in pendenti, Solymæ sub mœnibus urbis
Hortus erat: collemque frequens oleaster, & horti
Felici ramo, sylvâque virente regebat.
Huc Christum bifies soli loca sola petentem
Frondenti in saltu comitari sæpe solebant.
Huc quoque, mensarum fundato more nova rum,
Libatisque Patri dapibus, sacrisque peractis,
Venerat ipse, libens qui morti occurreret atræ,
Atque ultro sese fata ad suprema pararet.
Juxtà aderant comites jussi vigilare, sed artus
Defessos jam nocte sopor superarat oborta.

Ille autem in nemoris solus spatia ampla profundi
Dum penetrat, mortisque genus meditatur acerbæ,
Pœnarumque ignominiam, injustosque dolores;
Dumque animo violenti obtrus, violenta recusat
Supplicia, & fosso dandus de pectore sanguis;
Insolito sensit differri corda pavore:
Turpis cum lenî dubitantem, & multa timentem

Terrores circumvolitans, ac frigidus horror.
Sed contrà Imperium urgebat Genitoris, & ipsa
Jam data à primæ consulsus limine vitæ,
Quando olim sortem fratrum miseratus iniquam
Sumpserat hos artus, & se devoverat axis.
At dum turbatæ crebrescunt undia menti,
Conflictu in medio, genibus procumbit in ædem
Fusus humum, supplexque Parentem affatus, ab alto
Has animi trepidus fundebat pectore voces.
Quæ diversa autem surgit discordia mentis!
Quis furor! aut quæ me demum ad tormenta reservas,
O Genitor! Mane ah! tam tristi occumbere fato
Immeritum, & veniam tam dura sorte pacisci!
Si quid amas natum, natum Pater eripe fato
Immiti, mortem fas sit vitare pudendam.
Æstu animi in tanto, fessus valle sub imâ
Ille iterum ad comites, iterumque ad vota redibat;
Multa putans: toto proruptus corpore sanguis
Humectans campum largo sudore fluebat.
Est templum summi liquidos trans æthera orbes,
Trans solem & lunam, sedes ubi sacra beatus
Constituit superûm Rex, regnique ministris
Relligio: surgit templi in penetralibus altis
* Ara ingens, aræ Deus insidet. Ordine longo
Circumstant mille Angeli, qui supplice cultu
Vota repræsentant hominum, genitusque, precesque,
Et spes, & desideria, & quæcunque piandis
Mortales fundunt miseri suspiria votis.
Hos aræ divina cohors, pro more odore,
Próque omni ritu sacrorum, imponit honores:
Temperet unde animos contra delicta nocentum
Justitia, & pœnam precibus placata remittat.
Tunc quoque, quando ardens animorum in vota precesque
Perstabas; fama est, te tunc, ô Christe, precantem,
Tendentemque manus, & fletibus ora rigantem,
Te summi dum gens omnis spectaret olympi,

* Apoc. c. 8.

Supplicitrix trifiis, caſúque exterrita tanto,
Ante Patrem, templo in medio, tua vota ferebat.
Suſpenſique omnes, quò ſeſe numinis iræ
Ex longo offenſi vertant hôc cardine rerum:
Pro Domino occurrunt medii: Patrſque movendo
Certatim inſiſtunt: narrant, quos ille labores
Pertulerit, tenues hujus cùm lucis in auras
Editus humanos ultro ſuſceperit artus:
Perque novem menſes habitârit carcere in arcto,
Pro mundi Imperio, & cœli pro luce ſerenâ.
Pars rigido memorat teremarum frigore corpus,
Præſepi in fœdo, vilis ſub ſtramine fœni:
Pars ductum incisâ meminit de pelle cruorem,
Qui populi ſcelus omne, omnes qui tollere noxas
Poſſet, ubi parto fuſus pro nomine ſanguis.
Addit, quanta illi, primis pro gente ſub annis,
Vota fuere mori, quis mentem incenderit ardor
Servandi generis; ſeries nec longa laborum,
Nec mortis diræ ſpecies tardârit amantem.
Ad Peluſiacum repetit pars acta Canopum
Exilia, unius crudelem regis ob iram.
Centum alii, ſimiléſque pari virtute miniſtri
Oſtendunt, quanto victum ſudore parârit,
Paupere ſub tecto: ſylvis ut ſolus in altis
Errârit, maciéque oculos confectus & ora,
Longa quaterdenos tulerit jejunia ſoles.
Non ipſæ victum quercus, non ipſa ferebant
Arbuta: non ipſi præbebant pocula fontes.
Narrabant alii, per quæ diſcrimina rerum
Fugerit inſidias malefidæ gentis, & ultro
Ipſe ſuo obtulerit ſe vitæ prodigus hoſti.
Attonito nova ſacra novus dum legifer orbi
Præciperet: quantóque animorum oraverit æſtu
Ad turbas, cùm per pagos, mediaſque per urbes
Venturæ inciperet populo monſtrare ſalutis
Prima rudimenta, & priſcos reſcindere ritus.

Mille alii ærumnas, animis quas ceperat æquis,
Algoremque, sitimque, & tædia longa viarum
Exponunt: quoties vigilatas ducere noctes
Oranti, & solos per montes degere amanti
Contigerit, quoties tenebris deprensus obortis
Ingratum tulerit, nudâ sub rupe, soporem.
Atque ea diversi porrò dum forte referrent
Pro Nato ad Patrem, simul unâ voce rogabant,
Quem finem ipsius precibus ferat, unde dolori
Sperare auxilium velit, & quò vertere vultus?
Supremo ipse autem Patri fidissimus unus,
Signifer ætherea turmis qui præsidet aulæ,
Plurima, quo multùm pollens erat ore, ferebat
Pro Christo, lorum trepido cui triste parari
Dudum indignatus, tanto in discrimine rerum,
Instabat fidens animi, eloquiique peritus.
Nam memorabat, uti liquidam Jordanis ad undam
Cùm caput atque artus, purus licèt, amne liquenti
Perlueret, Natum Genitor confessus, & omnem
Id credi in populum, clarâ de nube, juberet,
Dans signum cælo ex alto, fulsere coruscî
Per nimbum radiantem ignes, & conscius æther
Lætiùs intonuit solito, assensùque secundo
Dicta Patris, multâ manifestus luce, probavit.
Protinus auratis dorsum circumlita pennis,
Aëra per nitidum, terris delapsa Columba,
Cælesti afflavit lustratum desuper aurâ.
His etiam addebat, nuper quæ gesta sub alto
Tabore, cùm radiis infignem lucis, & igni,
Ipse Pater sociis Natum monstraret, & omnes
Illius imperio populos parere juberet.
Utque omnem cœpit monitis cœlestibus oram
Implere, & factis ingentibus: atque per urbes
Finitimas jam tum manifesto numine ferri.
Talem ergo Natum Pater, & tam justa petentem
Hisque adeò apertis, lœti discrimine in isto

Multa alternantem, ne pavidè audire recuset.
Ipse modum tanto imponat, finemque laboris,
Hisque illum curis exsolvat, & horrida dira
Avertat, si fata sinant, præsagia mortis.
Hoc & amor Patriæ, & Nati reverentia poscat.
Talibus orabat Michaël, quem cætera pubes
Orantem comitata eadem pro Rege ferebat.

At Pater omnipotens illo, quo temperat orbem,
Tum demum turbæ oranti sic ore profatur.
Non vestras Natique preces audire recuso,
O famuli: sed ne afflicto succurrere possim,
Lex æterna vetat, promissique fœdera mundo.
Nam postquam vetitâ fatalem ex arbore fructum
Decerpsit primus mortalis, & ore superbo
Nec nostrum numen, nostras nec spernere leges
Erubuit, victus pellacis fraude colubri:
Audacis jam non abolenda injuria facti est
Sanguine communi: majora piacula poscunt
Majestas violata, & spreti Numinis ira,
Próque Deo offenso crimen tam grande piandum
Per non mortales obitus, sed morte litandum
Divinâ: genum is nimirum vertitur ordo.

Interea vocat Aligerum de millibus unum,
Qui natum læti pavidum terrere futuri
Obfirmet, dictisque agnum salutet amicis,
Res hominum fundus, si quâ pietate moveatur,
Et vitæ sortem indignam, miserandáque fata
Respiciat: tum quos ex isto morte triumphos
Ipse sibi, Patri quos conciliabit honores.
Si quæ autem Natum Genitoris gloria tangat,
Perferat hæc; neque jam fatis, laudive resistat.
Deinde suam vitam Genitori impendat, & orbi
Servando; quærenda salus, hâc morte, suorum.

Nuncius ît, summæque volans fert dicta Parentis
Ad Natum, qui tunc versabat mente sub altâ
Omne odium mortis, & inexsuperabile pectus.

Perjuræ mox quamvis daret ludibria genti,
De cruce quos risus, fluctus quos impia tulos
Posteritas: & quàm paucis de sanguine fusis
Præmia speratæ constarent vera salutis.
Nec jam pœnarum mortis horrescit acerbos,
Aut inhonestæ cupis moriturum probri moratur?
Tardat eum clades patriæ, atque indigna suorum
Excidia, & mortis merces perdenda futuræ.

Talibus undantem curis Parca missus ab ultro
Nuncius interpres super astitit: ille venebat;
Ora solo fixus, jam leti horrore propinqui
Exanimata; graves oculi languore jacebant
Funereo, gemitusque ægrabat creber anhelum
Pectus, & insolito vultus sudore madebat.
Jámque illum cœpit dudum, luctusque, fuitque
Pertæsum, vitam & lucem durare pigebat.
Una autem ante oculos volat atra mortis imago,
Et clavi, & lorea, & spinæ, latusque cruentæ
Militis intortâ figendum cuspide ferrum.
Indè animo subeunt prætoria, milite denso
Conjurata graves cum sanguine poscere pœnas;
Probraque apud Latium lento patienda tribunal;
Et sua Majestas Regi videnda superbo.
Túque ô! funestæ mortis crudele theatrum
Mœstæ occurrebas, rupes Calvaria, meæ.
Sic Annas fultum ante suam, Caïphásque togatis
Insontem: rigidus sic vincto illudere miles,
Sic alapam audebis violenta infringere palma,
Sic Petrus fœdâ ancillæ formidine victus,
Cari abjurabit nomenque decusque magistri,
Sueta priùs fluxam dum cristatæ signa volucres.
Nocte sub obscurâ socios hinc indè per urbem
Præcipites mortis acer agit: sic crimina fingent
Impiæ gens, dictísque minas jactabit acerbis.
Ille adeò tali confusus imagine rerum,
Dum mœsto tam multa tremens sub corde volutat,

In partes mentem labefactam dividit omnes.
Nuncius ad illum cunctantem & multa paventem,
Sic demum affatu propior compellat amico.
Mæste animis, ô nate Dei, tum funere ab ipso,
Quod refugis, veniet supremo magna Parenti
Gloria, magna tibi: cùm demum sanguine fuso
Legibus ipse tuis regnandum acceperis orbem.
Aspice quos populos letum detestere, quod horres,
Quamque tibi infuso pariet de sanguine gentem.
Nam postquam fato demum pertunsus acerbo,
Sub terram umbrarum sedes & claustra silentum
Pregeris, ac Manes victor concesseris imos:
Captivos patres, spoliis oneratus Avernis,
Jam victor rerum superas ad convexa reduces.
Atque tuo postquam crimen commune piaris
Interitu, tota surget gens altera mundo:
Tum rerum series melior nascetur, & ævis
Deinde tuis aliis Patri Instaurabis honores.
Lætus & ipse tuum, post tristia fata, videbis
In populos omnes late increbrescere nomen.
Tum posito demum tellus Ægyptia sistro
Numen adorabit: versis tibi Græcia fatis.
Et gravis imperio terrarum Romula tellus
Instituet ritus alios, moresque sacrorum.
Ac longo victæ accedent ex ordine gentes,
Omnis Arabs, omnes patrio cum tute Sabæi,
Et bello infreni Numidæ, fortesque Geloni,
Mauríque, Cretésque, & odoriferi Nabathæi.

Mulcebat tali miseram sermone paventem
Aliger: at mortis probrum celare pudendæ
Non tulit: exponit quanti hâc è morte dolores,
Et quæ pœnarum series, quèm longa sequatur
Jámque sacerdotum per fraudem injusta parantur
Circumstare odia, & populum jam dira frementem
Perfidiam comitum perjuráque verba suorum
Narrat, & ut falsi prætendens nomen amici

Antevolans ficto ſuccus dabit eſcula vultu.
Mandabunt ut terga fugæ præcul agmine fuſo
Fidi omnes, trepidæ vix auſi fidere noctis.
Haud aliter quàm cùm vaſto paſtore, per agros
Fulmineo pecus omne fremens leo diſſipat ore.
Addit, ut infirmam noctem ex arbore nodum
Et laqueo infumi Judas extrema ſecutus,
Se multa meſtum, lucemque perofus, & amens
Gutture ab elifo triſtes pendebit in auras.
Tum verò virgis ut percuſſenda fuligni
Terga dabit; nudas circùm geminata ſonabunt
Verbera per coſtas, & tubo undante natabit
Omne pavimentum: tenues ut ſparſa per auras
Membra minutatim concifa in fruſta volabunt;
Et cervix trajecta ſigente horrebit acantho:
Perque jocum ſervili humeros velabitur oſtro,
Dandus ad Hebræam, tali ſub imagine, plebem,
Vile in ludibrium, & turbâ illudendus ab omni;
Ut populus dictis parientem inceſſet amaris,
Omnia terrifici vates quæ dira canebant.

Quamquam autem mœſta tot menti indigna recurſent;
Aligeri poſtquam dictis recreatus, acerbum
Excuſſit penitus terrorem, animóſque recepit;
Ibo, inquit, quò me cari ſuprema Parentis
Juſſa vocant: generis crimen commune plabo:
Nec me pœnarum ſpecies jam dira retardat.

Dicebat, campóque alacer ſurgebat ab ipſo:
Lucentem cùm turba ingens fulgentibus armis
Ad lunam portis horrum perrumpit apertis.
Deſertúmque ſuis & inermem, milite multo,
Circumſtant, magnóque trahunt clamore per urbem
Judicio dandum infido, perque omne tribunal
Raptandum: læti cauſas & crimina, tectis
Ipſi primores, ut cuique eſt copia, texunt
Artibus obliquæ invidiæ, pœnaſque reposcunt.
Unà animis infenſi omnes, longíſque tremendi

Insidiis circumveniunt. Consilia ab illo,
Dum scelerum timorem omnibus, fraudumque potentem
Incusant, vanæ ora solo defixa, fideque
Conscius ipse sui, præfectum indigna roganrem
Nec jam suspensis dignari sustinet unos.

At quamvis regnum alii jam mortale moterur,
Divinos ortus coram prætore fateri
Non puduit, quâ se memorabat origine cretum,
Fidenterque Deum sese testatus, at ipse
Horrorem insimulans, profcisse veste Sacerdos
Sacrilegum inclamat, sontemque professus, ad ædes
Præsidis Ausonii multandum morte remittit.
Illo frænabat Solymæam tempore gentem
Cæsare pro magno Romanâ missus ab urbe
Pontius, atque alti populos sub pace regebat.
Præsidis ergo omnes Romani ad limen inundant,
Divini quos dira sitis, rabiesque tenebat
Sanguinis, & misero nova fingere crimina tendunt.
Vestibulum densi ante ipsum, longisque frementes
Porticibus, variis acuunt clamoribus iras.
Pars memorat, festis cùm lex cessare diebus
Præcipit, ut morbos curare, ægrisque mederi
Obstinet: & legem contra, moremque receptum
Illotos vulgò comites considere mensis
Sustineat, manibusque cibos contingere fœdis.
Pars ait, ut pollens linguæ, fraudisque peritus
Paulatim ad turbam vicinas fuscire urbes,
Dum perstat mores sacrorum abolere veustos,
Et legem antiquam, patrumque edicta refigit,
Seditione potens: instar pars tercia, ut omnem
Gaudeat ambiguas in plebem spargere voces.
Ut regnum fastu in populum affectare superbo
Ausit, & irrisa se prodere Cæsare regem.
Obtendunt alii, Solymæ dum vana minatur,
Sacrilego quoties sese jactaverit ore,
Eversurum aras, & pessum templa dicaturn,

Dúmque incensi adiis Christum tot frivola contra
Cœtatim objiciunt, & dictis crimen acerbant
Ipsa amens animi, vastísque exercita monstris
Romani conjux, nostrum quæ passa per ærum,
Multa virum hortatur, cautè ne se implicet illi
Imprudens, falso insontem ne crimine perdat.
Polluat unde suum scelerato cæde tribunal.
Pontius uxoris monitu permotus, ahenâ
Afferri liquidos fontes præcepit in undâ,
Perluat unde manus, animúmque ostendat, & omni,
Si quod erit, coram populo, se crimine purget,
Ut trepidæ offensa uxori sic visa refutet.
Nam neque jam fas est populi procerumque cruentam
Restinxisse sitim, neque tanto obstare furori.
Cuncta timet, plebísque minas, urbísque tumultum;
Præcipuè quoties vanum plebs nomen obumbrat
Cæsaris, atque illo communes aggerat iras
Prætextu, morte immeritum dum perdere tentat.
Ille adeò visûsque motu, cedénsque furori
Injusto, Christum malesdæ denique genti
Tradidit insontem; sique intrò tecta recepit.
Haud aliter, quòm cùm Tyrrhenum nauta per æquor
Tendit iter velis, cælo si fortè nigranti
Tempestas fœda ingruerit, quæ triste minetur
Omnibus exitiúmque viris, ratibúsque ruinam
Obstantes contra ventos luctatur ab alâ
Puppe gubernator, clavúmque intorquet, & ipsos
Hortatur validis comites insurgere remis,
Si qua gravem casum detur superare facultas.
Verùm ubi collectum glomerasi nubibus imbrem,
Immitésque omni ventos crebrescere ponto
Senserit, & piceo miseri turbine cælum,
Permittítque ratem ventis, clavúmque relinquit,
Facta potens, veri pubes Solymæa furentis
Judicio infando, non jam Rectoris ob ædes
Incerta errabat eadem, fremit, ore cruento

Turba omnis, cædem primores gentis, & ipſi
Deinde ſacerdotes Italo cum milite ſpirant:
Atque omnes Chriſtum inſontem ad crudele repoſcunt
Supplicium. Signum interea fatale paratur,
Et necis urgendæ ſtudio infabricata bicorni
Crux cedro erigitur, mortis nunc triſte theatrum
Chriſte tuæ, feris ſignum venerabile ſeclis,
Quo noſtræ conſtet pretium commune ſalutis.
Romuleæ interea procedunt urbe phalanges:
Ponè ſubit dorſo geſtans immane trementi
Pondus, & undanti jam ſqualidus ora cruore
Chriſtus; eum peditúmque manus, equitúmque cohortes
Armatæ circumſiſtunt, & fune retorto
Raptatum, durâque crucis ſub mole gementem,
Cædis diræ avidi, magnis clamoribus urgent.
Ibat mœſta parens, tanto ſervata dolori:
Ibant & reliquæ matres, crinémque ſoluæ
Pectora fœdabant palmis, atque ora rigabant.
Ut ventum in montem, cæcis mugire cavernis
Cœpit, & inſolito ſub terram horrore moveri
Omne ſolum; gentis dirum ceu crimen iniquæ
Horruerit tellus, Domini ceu fortè cruore
Reſpergenda ſui, & juſto confuſa dolore,
Viſceribus tantum ſcelus ejuraverit imis.
At non illa tamen populum præſagia terrent.
Nam Chriſtum immemores rerum, oblitíque ſalutis,
Veſtibus exutum rigido diſtendere ligno
Inſiſtunt, nudúmque ſupremo in monte reclinant.
Salve divino toties optatus amori
Letifer ô collis: namque hâc certamen arenâ
Chriſtum grande manet: mortis vincenda poteſtas
Rupe ſub hâc, quærenda ſalus hôc publica campo.
Quantum fatorum locus hic habet! ut ſemel Agnus
*A primâ quondam mactatus origine mundi,
Iſto monte ſuper, ſeſe devoverit aræ:
Atque expirantis Chriſti violenta cruentum

*Apoc. c. 13.

Ruperit haſta latus; populóſque effuſus in omnes
Purgandum ſanguis divinus laverit orbem.
Omine quo, victis mœrens Styx pallear undis,
Et regno trepidi Manes tuebentur Averno,
Infernique lacus, & inexorabile letum.
Ergo fide animis, & ſacrum concipe fœdus,
O Chriſte: humanâ mortem pro gente paciſci
Ne dubita: unde tuo dirimatur ſanguine bellum,
Et cauſæ irarum antiquæ cum Patre reſidant.
Interea expediunt necis inſtrumenta nefandæ
Tortores: clavo palmas pars figit adacto
Cedrum in tranſverſam, rigidâ pars cuſpide plantas
Trajicit. Ah crudo potiùs me figite trunco,
Tortores, ſontem quocumque abſumite fato,
Perdite me, ut merui; Chriſto nil tale merenti
Parcite: ſolus ego veſtrum hunc explebo furorem.
Sum prior ipſe nocens, leto damnandus acerbo,
Qui toties ſummum violavi crimine numen:
Sumite poſcendas ſcelerato à ſanguine pœnas.
Sed quid ego hæc autem triſtes maleſanus ad auras
Vana loquor? non jam, non curat dicta, neque audit
Impia gens: altâ pendens ex arbore Chriſtus
Sublimè erigitur, terras unde arduus omnes
Reſpiciat moriturus, & omni debita mundo
Victima monſtratam fatis maſtetur ad aram.
Hos Regi perjura tuo perſolvis honores
Nimirum, ô Solyme: non illo ferocia corda
Pervicit meritis: Dominum crudelis iniquo
Interimis leto, qui te ſervare parabat.
Hunc gens veſtra odii ſtimulis agitata maligni
Affixum ligno properatâ morte peremit,
Qui veſtros quondam, per tot miracula, patres
Servitio eripuit duri Pharaonis, & ipſam
Cunctantem, ac monitis toties cœleſtibus actam
Ægyptum, cæſo primæva flore juventæ
Perculit, atque maris ſua demum in clauſtra reſuſi

Fluctibus involvit, totâ cum gente, tyrannum.
Quid dape cæleſti, deſerta per arida, paſtos
Iſacidas, gregibuſque datam ſitientibus undam
Eloquar, expreſſis ictâ de rupe fluentis?
Ut ſileam riguas mirâ dulcedine valles,
Atque redundantes cæleſti nectare rivos,
Diruta raucarum ſolo clangore tubarum
Mœnia quid memorem trepidæ Jerichunthis, & urbes
Jordanis toto paſſim ſub litore victas?
Quid tribubus metata tuis fatalia rura
Promiſſæ telluris, & hoſtes undique fuſos?
Reſpondes autem tanto, gens perfida, amori
Supplicia & pœnas: divini impenſa favoris
Argumenta, tot illa crucem benefacta merebant?
Hoc Servatori pretium memorabile veſtro!
Quid faceres ſcelerata tuo crudelius hoſti?
At quid ego Hebræam gentem, Solymámque furoris
Necquidquam accuſo tanti? Quid ſera querelis
Mortales lentè teneri jactamus, & ipſos
Carnifices diris inceſſimus? Omnia quando
Tormenta hæc ſceleris ſunt prima exordia noſtri,
Id pietas tua, Chriſte, tui id meruere labores
De nobis? Quicumque Crucis divina ſecuti
Bellando vexilla, tuâ ſub lege meremur
Chriſtiadæ infidi, te Chriſte, peremimus omnes.
Crudeli interea riſu, linguâque procaci,
Armato paſſim mixtum cum milite vulgus
Chriſto inſultabat: referunt ea præmia porrò,
Qui templum exturbare agitant: ſic lapſa refingunt
Mœnia, ſacrilego dum faſtu vana minantur.
His populus probris toto ſub monte fremebat.
De cruce pendenti mater cariſſima nato
Aſtabat: non illa manu perculſa decorum
Pectus, & effuſos ventis laniata capillos,
Aut ſe deſertum fletu male queſta pudendo.
Numque ſuos generoſa parens, natique dolores

Exſuperans animorum, æquâ ſub mente ferebat.
At non ſic reliquæ tot Chriſtum indigna ferentem
Spectabant matres: iſto de funere natis
Quæ fatale aliquid jam tum impendere videbant.
Ipſa adeò cædis vindicta parata cruentæ
Attonitam implebat variis rumoribus urbem:
Et triſtes pœnas jam conſcia turba pavebat.
Quid reliquos porro Chriſti memorare dolores
Attinet? ut vepribus cervix trajecta cruentis
Diffluat, intenſis ut membra rigentia nervis
Et trunco defixa, gravi ſub mole laborent:
Ut malè ſuſpenſo proruptus corpore ſanguis
Exſuccum inflammet pectus, faucéſque perurat.
Ferte citi lymphas, ſitis arida torret hiantem,
Qui ſummo laticem exiguum pro munere poſcit.
Sed ſucco immiti, ac triſti perfuſa veneno
Pocula præbentur labris, ut dirus amaror
Torqueat os, linguamque urat morientis. At ille
Reſpuit oblatos labris, quos attigit, hauſtus.
O feritas immanis! aquæ tibi gutta negatur,
Qui fontes populis, & flumina dividis orbi,
Perpetuiſque rigas arentes roribus agros.
Sed non optato ſitiens fruſtrabere potu,
Chriſte, tui ſacræ ſi quando numinis auræ
Obſequimur faciles, & ſi meliora ſecuti
Cœperimus vitæ injuſtos dediſcere mores,
Virtutémque alacres amplectimur. Iſte tuorum
Terminus, hoc pretium, hæc merces quæſita laborum:
Noſtræ erat, urebat quæ te, ſitis illa ſalutis.
Sed Chriſti exhauſto morientis ſanguine, nondum
Omnis tortorum furor eſt exhauſtus, iniquo
Reſtat adhuc odio, rabiem plebs unde requirat
Exſaturare ſuam: pendenti illudere dictis
Aggreſſi, riſu miſerum inſultante ſalutant.
Funere paſce oculos, gens impia, paſce cruentas
Sanguinolenta manus; verùm hunc compeſce furorem:

Abſit ab injuſtis ſaltem petulantia verbis.
Ecce autem fuſo major de ſanguine creſcit
Hæc rabies, creſcunt iræ: nec parcere linguis
Nôrunt ſacrilegi: ſua deerant vulnera honori,
Chriſte, tuo; dictis etiam violandus amaris
Ille fuit: toto paſſim ſub monte furentum
Confuſæ inſurgunt voces, & ſtrepitus jocantum.
I nunc, i, te voce Deum mentire ſuperbâ,
Dum moteris: ſic diſce alios ſervare cadendo;
Qualem te jactas, manifeſto numine prodis.
Sed dum tortores immani murmure Chriſto
Inſultant, ipſis veniam tortoribus orat;
Excuſátque ſcelus: quin & pro crimine tanto
Vota facit, gentis furias miſeratus iniquæ,
Vulneráque obtendens Patris objicienda furori,
Hanc, ait, hanc inſontem animam tibi ſponte remitto,
O Pater, & totâ vitam pro gente refundo.
Nec plura effatus, magnâ ter voce Parentem
Supremum implorans, ligno expiravit ab alto.
Si ſic immeritum punis, Pater optime, Natum:
Quid non ſervi humiles, noſtra ob delicta, meremus
Supplicii, & quas non debemus ſumere pœnas,
Primus ego ante alios? Méne ah! tam ſæpe nocentem,
Et veniæ uſque adeò indignum, hucſque frueńdæ,
Non potuiſſe mori! Nam quæ mihi, quanta pepercit,
Quot delicta Deus? flammâ dum vindice fontes
Ex alto in reliquos ſuperintonat? O ubi, qui me
Et meritum toties, & adhuc graviora merentem,
Fatalem hanc, quâ ſe Chriſtus devovit, ad aram
Mactandum imponat! Quid enim jam demorer ultra
Vitæ infelicis ſpatium quod inutile reſtat,
Ætatémque mihi proferri longiùs optem?
Quam morbi & curæ affligunt, tot bella per orbem
Inflammata, graves odiis furialibus ipſos
Per populos inimicitiæ, ſuper omnia virtus
Tam multis deſpecta, ſuas temerata per artes

Relligio, noſtri præceps inſania luxûs,
Tot ſcelerum ſpecies. Nam quæ unquam ſæcla fuerunt
Uſque adeò virtuti infeſta, averſáque ab aris?
Quando ſuos patitur fluctus, hôc turbine rerum,
Relligio & virtus, me fluctibus eripe ab iſtis,
Summe Pater: quòd & hoc de te ſi denique munus
Non merui, ſaltem fas ſit pendere ſupremùm
De Cruce, & amplexu Chriſti morientis ab ipſo
Hos animos haurire, Deo quos noſter amanti
Quondam expreſſit amor: crudeli funere dulcem
Cùm vitam moriens ſervando impenderet orbi.
Ah ſaltem liceat perfoſſis oſcula plantis
Truncum amplexantem toris libare diebus,
Et tecum ſimili libantem occumbere leto.
Si nunc ille, tuo qui pectore, Chriſte, calebat,
Ille meis ſi ſe nunc oſſibus implicet ignis,
Ferventémque paris me leti inflammet amore:
Quas ego non pœnas, quæ non tormenta ſubirem
Pro te alacer, promptúſque mori, quæcunque paratus
Digna indigna pati, cuicumque occumbere leto.
Quamvis id ſperent meriti, qui ſanguine fuſo
Cæleſtem referant tua per veſtigia palmam:
Excitet hæc alios fiducia. Vos mihi partes
Eſte meæ, Chriſti ſupremum plangere funus,
Atque meo gemitus populorum incendere planctu.
Sed mortis dum, Chriſte, tuæ vulgare dolorem
Aggredior lacrymans, & totum flenda per orbem
Fata redordiri populis, ac carmine mœſto
Dicere te leti pro mundo extrema ſecutum,
Quis gemitus guttis roret ſat grandibus ora?
Quæ ſatis hunc caſum poſſint æquare querelæ?
Nec mihi pro rebus poſthac volvantur inanes
Jam lacrymæ humanis: tum flere humana decebat,
Cùm ligno Chriſtus nondum ſuſpenſus ab alto,
Se noſtrâ pro gente nec devoverat aræ,
Et nondum lacerî clavis immanibus artus

Proſtarent triſtes miſerandum funus ad auras.
Téne ego, dum moreris, poſſim te, Chriſte, tueri,
Pallentémque oculis, expirantémque cruento
Funere, nec doleam, tanti qui prima doloris
Cauſa fui? Ille ego ſum, tua qui tibi vulnera fixi;
Quas merui, das ipſe tuo de ſanguine pœnas,
Non veritus pro me tam fœdæ occumbere morti.
Et vivo infelix, nec creber ab ore profundo
It gemitus? Riguo non manant lumina fletu?
Nec violenta meum rumpunt ſuſpiria pectus?
Ipſa ſuo poſtquam rerum Natura Parenti
Indoluit, ſenſitque tuos, ô Chriſte, labores,
Multa gemens: ipſi flêrunt tua funera montes,
Ipſæ te rupes, ipſæ ſub rupibus altis
Viſceribus diffiſſæ imis flevere cavernæ.
Quin & purpureo dum Titan ore niteret,
Et veſpertino præberet lumina cælo,
Horruit aſpectu tam diro, oculóſque retorſit,
Pallentémque atri Lunam infecere colores.
His ſuper incenſis erumpere nubibus ignes
Terrifici, maculæ obſcurum per inane rubentes
Nigranti fulgere polo, triſtéſque per auras
Audiri voces mœſtæ, & ſuprema minari.
Criminis ipſe etiam tanti jam conſcius æther
Occuluit ſeſe tenebris, & nocte profundâ
Indixit toti ſervanda ſilentia mundo.
Rupit & ille dolor tumulos, Manéſque ſepulcris
Inviſam rurſum in lucem prodire coëgit:
Et paſſim ſimulacra modis pallentia miris
Viſu ſub obſcurum confuſam errare per urbem,
Et terrere vagum ſubitâ formidine vulgus.
Iſtis tum primùm populo res credita ſignis,
Offenſi triſtes portendere numinis iras.
Supplicii ſocios, ut erant jam morte propinquâ
Semianimes, juſſo perimit dum funere tortor,
Luctantéſque animas invito à corpore ſolvit:

Chriſtum expirantem, qui tum ſub monte, comſcam
Pictus acu Tyriâ chlamydem, criſtâque comanti
Conſpiciendus eques juxtà reſpexit, & haſtam
Impreſſit nudo lateri, jam frigida leto
Tranſadigens fractis altè præcordia coſtis.
Continuò rigui, rupto de pectore, largus
Sanguinis it torrens. Spes hinc, ſpes diſcite veſtras,
Mortales: neque enim fruſtra divinus aperto
Corde cruor cœpit totis decurrere rivis;
Noxas unde omnes, unde omnia crimina mundus
Eluat, atque ſalus populorum certa ſequatur.

Nec mihi vile adeò quiſquam perſuaſerit autor
Sanguinis eſſe tui pretium, divine Redemptor,
Ut genus humanum non fructus mortis ad omne
Pertineat. Quis enim metas imponat amori
Immenſo, meritúmque Crucis tam parcus in arctum
Deducat? Repetens igitur, repetènſque monebo,
Mortales ſperate: ſuas Clementia leges
De cruce jam mundo cœpit dictare nocenti:
Et moriente Deo venia exorata latroni,
Sontibus oſtendit quæ ſpes monſtrata futuris.
Hæc dubias animat quando fiducia mentes,
Cur non perpetuo rorantes lumina fletu,
Nudáque percuſſi violentis pectora palmis,
Magnum ſponte Crucis provolvimur ante tribunal,
Atque ultro oramus veniam, & commiſſa fatemur?
Ibo autem ante alios: nec me terrebit euntem,
Sit quamvis ſcelerum ſpecies horrenda meorum.
Parcite Cœleſtes: ſi Chriſti morte redemptus,
Humanas vel opes, fluxæ vel gaudia vitæ
Affectans, alios quàm Servatoris amores
Suſpiravi amens. Neque enim promiſimus iſta
Chriſtiladæ, quando mundum mundíque ſuperbum
Pompam omnem ad ſacras primùm abjuravimus undas.

Nam poſtquam, Chriſte, humanæ ſub imagine formæ
Veniſti, vitâ & monitis qui crimina primus

Noſtra redargueres, & nos tua regna doceres:
Nil ſuper imperio terrarum, aliiſve movemur
Promiſſis, primo quæ quondam noſtra parenti
Fata oſtendebant: ſpes olim agitavimus iſtas,
Quando humilis ſortem humanam fortuna decebat.
At poſtquam nobis regnum immortale parâſti
Sanguine, Chriſte, tuo: nil jam terreſtre putandum eſt
Aſcitis in ſpem æternam: nam cœpimus ex quo
Eſſe Dei hæredes, terram mutavimus aſtris.
Deinde ergo jam nullus opum, jam nullus honorum
Nos pertentet amor: nec noſtras terror inanis
Pœnarum falsâ frangat formidine mentes.
Quis pudor inferno ſoret inſervire Tyranno,
Cœleſtis patriæ immemores, rebuſque caducis
Affixos, poſtquam obſcurâ ſub nocte jacentes
Æternam in lucem Chriſtus revocavit, & Orbi
Morte ſuâ medicatus, iter patefecit Olympo?
Huc ergo ſcelerum quos conſcia vita remordet,
Huc concurſu omnes pacem exorate frequenti:
Et ſi vos teneat veniæ ſpes ulla merendæ,
Cruda ſui placate Patrem per vulnera Nati,
Nate Deo, per eum quo nos mereàris amorem,
Per ſpem, quam duro moriens de funere mandas
Eſſe reis, per dira necis tormenta cruenta,
Perque artus laceros, per ſparſus ſanguine vultus,
Ipſis, per veniam, quam tu terroribus oras,
Vulnera trajecti per pectoris, & per amoris
Cætera ſigna tui, gentis miſerere, nec unquam
Ipſe tui cauſas bonus obliviſcere leti:
Quo fierit humanæ merces impenſa ſaluti.
At quamquam fas, Chriſte, tuæ ſit fidere morti,
Cum patre percuſſum poſtquam jam fœdus, & omnes
Compoſitæ pacis divino ſanguine leges:
Non erit indè tamen poſthac impunè ſuperbis:
Huc igitur tumido cui mens malè turgida faſtu,
Aut famæ maleſanus amor, laudúmve cupido,

Sublimes animos & ſpes inſpirat manes,
Huc ades: atque tui mortem meditare Magiſtri.
Ad crucis aſpectum ſe veſtra ſuperbia frangat,
Mortales ſtolidè vani, atque inſana tumentes.
Aſpice divino reſperſos ſanguine vultus,
Trajectoſque pedes, & apertum cuſpide pectus,
Quiſquis es, exoſo dubitas qui parcere fratri,
Averſuſque foves odia implacata tuorum.
At non ille ſuos, cujus te morte redemptum
Oſtentas furioſe, tuus ſic fratres in hoſtes
Chriſtus erat: moriens quando poſt crimina tanta,
Támque graves inimicitias, tibi deinde pepercit.
Illa tuos repetimus ſpecies, & imago furores,
Si quis adhuc odiis nunquam exſaturatus, amarâ
Rumperis invidiâ, fratrum genus omne peroſus,
Irarúmque gravis violento agitaris ab æſtu.
Quiſquis es, externo thalamos qui prodis amori,
Connubiſque fidem, ſacraráque fœdera rumpis,
Atque inconceſſos ſub pectore concipis ignes:
Reſpice, quos pro te moriens perferre dolores
Suſtinuit Deus! & poſthac mala gaudia quære,
Si te expirantis Chriſti non flectat imago,
Nullus, mollem animum poſſit qui flectere deinceps,
Senſus erit. Morbis namque una medebere noſtris,
Crux impauſos domitura libidinis æſtus.
Fortunata Arbos, Chriſto pendente, ſuperbum
Quæ caput excelſo mundi ſuper ardua trunco
Attollis, cœlo fructus partura perennes
Et terris: noſtræ Lignum ſalutis,
Quas tibi commemorem, merito quàm carmine laudes?
Te mors primorum ſpoliis onerata parentum,
Te domus immanis tenebrarum, umbræque ſilentes
Victricem ſenſere: tuos Acherontis ſub alto
Captivi quondam manes cecinere triumphos.
Te cælo latè & terris, Erebóque potentem
Tartareæ tremuere acies; tua maxima virtus

Contudit Inferni vires & ſceptra tyranni.
Tu generis maculam antiquam, proliſque futuræ
Impreſſam primâ mundi ſub origine labem,
Laviſti puræ divini aſpergine roris.
Tu quondam Hebrææ, colubri ſub imagine æneâ,
Per deſerta Arabum, ſanâſti vulnera gentis.

Plaudite ſervato, ſacrâ Crucis arbore, mundo
Mortales, cui nulla unquam corruverit arbor,
Divite tot trunco tales producere fructus,
Aut caput excelſum paſſis ſic tollere ramis!
Non priſcis habitæ quercus oracula Gratis,
Non Libani cedrus alta, nec Hamonis cypreſſi,
Olim tempus erit, tua quando ſupplice cultu
Sub juga captivus latè conſiebitur orbis.
Crux inſtaurate ſignum venerabile mundo!
Culmque omnes populi, flexo cum poplite Reges
Accurvi fuere libabunt oſcula trunco,
Et tua deſcribent luſtrandæ inſignia fronti.
*Magnanimiſque equites, ſi quando ardentibus ibunt
In medias acies animis, & caſtra movebunt
Contra Aſiam, viriſque omnes Orientis, & ipſum
Regnatorem Aſiæ, pro Religione tuendâ,
Armabunt, de more, tuo ſua pectora ſigno,
Ut bella, & caſus belli eventuſque ſecundes.
Curva tuum ipſi etiam ſervati in litore numen
Nautæ implorabunt; trepidis tu læta reduces
Tempora, te nimbi tempeſtateſque pavebunt.
Et dubio deinceps quicumque per æquora ponto
Vela dabis; cœptam vel jam ſub nocte profundâ
Ingrediere viam: cæco ſi fortè tumultu
Deſuper aſtra tonent, & inhorreat imbribus æther,
Crebriſque confuſis rumpantur fulmina nimbis,
Irato fruſtra cœli terrebere vultu.
Signa Crucis poſtquam cervici impreſſeris altæ,
Et ſua templorum quoties penetralibus imis
Religio ſolito peragat myſteria ritu.

* *Melitenſes.*

Cœlestesque epulas pateris libabit & auro,
Omnibus alma dabis Crux prima exordia sacris.
Ut te ergo, Lignum terris, Preboque verendum,
Ut fidens promptusque animi, te pectore toto
Amplector, tanta humanæ quæ commoda genti
Adportas, miseris mortalibus utilis Arbos!
Unica tu generi spes & fiducia nostro.
Nec mihi flammifero Hebræus super æthera curru
Se raptum ostenset Vates, cœloque receptum.
Posthac per te unam fas aspirare beatis
Sedibus, & cœli summâ in statione locari.
Numinis æterni nam conciliare favorem
Sola potes, justosque animi compescere motus!
Cùm suprema dabit mortalibus ore tremendo
Arbitria, inque hominum vitas & crimina quæret
Exactor, mundumque ardenti è nube nocentem
Armatus flammâ damnabit vindex Judex,
Tunc vatem, Crux alma, tuum, vatique fideles,
Quâ virtute potes, spero, servabis amicos!
Lamoniam imprimis, tu diva, tuebere gentem,
Unam præ cunctis studio pietatis avitæ
Insignem, sempérque aras defendere promptam.
Felix illa domus, si parvos inter honores,
Tuta patrocinio Crucis, & morientis Iesv,
Pergat, uti cœpit, jamdudum insistere rectos
Virtutis calles, miserorum intenta saluti.
Felix ipse, caput præclaræ nobile gentis,
Si quando, dum regna fori imperiosa gubernas,
Lamontæ, & solio leges moderaris ab alto,
Ipse Crucis sacros numeraberis inter amantes.
Namque tibi nec honos tibi, nec tua purpura tantùm,
Non generis stirpeo veniens à sanguine splendor,
Non ea quâ populum, non quâ tibi gratia Regem
Concilias, non quæ memoranda oracula reddis
Liligero è solio, fandi non maxima virtus,
Non reliquæ, quarum magna est tibi copia, dotes

Profuerint: quantùm morientis gratia Chriſti,
Atque bonæ te ſancta Crucis tutela juvabit.
Cætera namque tibi plauſus famámque merebunt,
Replebúntque tuas auris popularibus ædes:
Crux dabit una tibi vitæ immortalis honorem.

FINIS.